

punctum a rectitudine declinans, curuum censendum est. Quod autem ad superficies curuilineas & rectilineas attinet, non est dubium, quin sapienti numero in illis possit certa proportio declarari: sic meniscus Hippocratis proportionem habet aequalitatis cum triangulo orthogonio isosceli, cuius hypotenusa est latus quadrati circulo inscripti.

*Epilogus tractationis de quadratura circuli.*

C A P V T X.

**H**Aec tenus in genere omnia exposuimus, ex quibus Quadraturam circuli aestimare licet: non enim fieri potest, ut spatium circulare exactissime aequetur figuræ rectilineæ, sed nihil impedit, quo minus proxima aequatio inueniatur. Quam sententia confirmat Ioannes Regiomontanus, de quadratura circuli aduersus Nicolaum Cusanum disputans, ubi pagina 53 sic scribit: Prope igitur ad metam accessit vir ille, quamuis medio frueretur facilimo. non tamen idcirco satisfecit intellectui, veritatem magis quam propinquitatem inuestiganti. Nam si ad metam ipsam propinquius etiam quam Archimedes veniendi fuerit libido, viam in promptu habemus, ab Archimedea sumtam, qui quemadmodum proportionem circumferentiæ ad diametrū conclu- sit inter duas, scilicet triplam sesquiseptimā, & triplam superpartiētem decem septuagesimas primas: ita inter duas proportiones multo inter se viciniores eandem constituerem poserimus circumferentiæ ad diametrū proportionem. Sed in hoc non quiescit animus, cum recta aequalis circumferentiæ circuli non sit data: atque idcirco spes omnis circulum quadrandi ademta. Si qui ergo siue modernorū siue posterorū huius rei gloriam venari velint, curuæ lineæ rectifi-